Infernus vero apertus erat ita quod omnes ad eum descenderent. Unde ysaias: Dilatavit infernus animam suam, id est inferiorem partem, ut dampnatos reciperet, et aperuit os suum, id est exteriorem partem, scilicet lymbum, ut sanctos reciperet, quia omnes recipit quos sequitur. Et descendent fortes eius ut sublimes gloriosi quia ad eum. Sed quid factum est? Christus destruxit lymbum et aperuit celum, ita quod amodo nullus sanctus ad infernum descenderet, sed sine omni impedimento ad celum ascenderet. Festina o homo ad celum, quia non solum apertum est hostium, sed et invitatus es, et quod plus est intrare per ipsum compelleris. Unde in evangelio: Exi cito in vicos et plateas civitatis et compelle intrare. Curre igitur quamdiu invitaris, quamdiu tibi celi hostium permittitur apertum. Si enim tempus neglexeris, intrare non poteris. Ille enim qui modo tibi celum aperuit, cito recludet ita quod nemo intrare poterit. Unde Math.: Et que parate erant intraverunt cum eo ad nuptias et clausa est ianua. ¶ Secundo utilitas patris per manifestacionem invenitur cum dicitur invenerunt. Sed ante adventum christi deus erat absconditus. Unde ysaias: Vere tu es deus absconditus.

Et ideo inveniri non poterat quia se ab omnibus absconderat. Homines enim propter peccatum in tenebris ambulabant, et ideo adeo multum distabat. Nunc autem inveniri potest quia mundo apparuit. Unde ysaias: Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam. In signum huius nato christo lux eum fulsit pastores, et stella apparuit. Ita ipse modo est. Unde Apostolus: Gaudete in domino semper, iterum, quia dominus prope est. Quere ergo dominum cum magis quamdiu prope est. Tercio utilitas patris per mitigacionem christi. Hoc invenitur cum dicitur puerum. Pueri enim solent esse mites et sine ira. Ante adventum christi deus ita iratus fuit contra homines, quod nullus eum placare poterat, quod propheta compulsus fuit clamare et dicere: Numquid irasceris in eternum, quasi diceret tantum iratum te ostendis hominibus quod per nullum vis placari. Et iratus fuit in primis parentibus expulsis de paradyso appendere, quod tot milibus annorum reliquit dilectos suos in lymbo. Tam iratus fuit dominus quod homines non audebant accedere ad ipsum. Hoc legitur in Exodo quod Iudei audientes voces et lampades videbant et sonitum buccine montemque fumigantem, et pavidi steterunt procul dicentes moysi: Tu loquere nobis et audiemus te, non loquatur